

*ditionem subjecti propriam, tribuas adjuncto, si nimirum locum ponas pro re locatâ, mundum pro incolis, Germaniam pro Germanis, & vicissim contrâ similiter tropus fuerit. Dicitio enim ab eo loco in quo propria est, transfertur in eum in quo propria non est. Porro ab hac ipsa definitione Tropus non tantum est, quod est, sed & à Figurâ potissimum distinguitur. Differentia namq; Tropi & Figuræ consistit in duobus præcipuè: 1. Tropus est in UNA voce five in singulis verbis: Figura est in pluribus & conjunctis (in oratione, Quintil. l. 9. c. 1.) 2. Tropus verbi five vocis significationem nativam mutat in aliam: Figura verò (non verbi, sed) orationis habitum immutat. Grammaticam scilicet ejusdem puritatem variis schematum flosculis exornans. NOTA I. Quamvis tropus sit singularum vocum modificatio, extra orationis tamen contextum intelligi non potest. Sic si quis dicat ANUS, nemo intellexerit, num propriè aut modis atè loquatur: Sin autem in orationis contextu anus pro juvencula ponatur, facilimè tropum deprehendes. NOTA II. Troporum causas esse duas: 1. est Necessitas, quæ est ejusdem causa efficiens procreans, siquidem verborum inopia tropi primùm inventi. Non enim habemus tot verba, quot res. 2. Voluptas, quæ est causa tropi conservans. Omnes namq; alienis magis & translatis (si modò ratione translata sint) quàm propriis & suis delectantur, ait Cicer. 3. de Orator. Qui hæc obijciunt Tropum etiam obscœnitatis vitanda gratia inventum, ut cum Venus pro coitu sumitur. E. non solius necessitatis & voluptatis ergò. Elencho opposit. seu fallac. secundum quid ludunt. Obscœnitas namq; ad necessitatem est referenda, quia obscœnis non est utendum, nisi necessariò tropum adhibeamus.)*

*Tropi sunt generales hi*

CANONES.

1. Omnis Tropus debet esse verecundus, ut deductus esse in alienum locum non irruisse, ut precariò, non vi venisse videatur.

2. Rei